This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600095814X

600095814X

ARISTOPHANIS

NUBES.

EDIDIT ILLUSTRAVIT PRAEFATUS EST

WILH. SIGM. TEUFFEL,

LITT. ANTIQQ. IN ACADEMIA TUBINGENSI P. P. E. O.

LIPSIAE,

SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLVI.

292. e. 68.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·
DOMINUS ILLUMINATIO MEA

PRAEFATIO.

I. De Nubibus actis atque retractatis.

Argumentum Bekkeri quintum haec refert:

Αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐδιδάχθησαν ἐν ἄστει ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου [Ol. 89, 1 = 423 a. Chr.], *ὅτε Κρατῖνος μὲν ἐνίκα Πυτίνῃ, Ἀμειψίας δὲ Κόννῳ. διόπερ Ἀριστοφάνης ἀπορριφθεὶς παραλόγως ᾠήθη δεῖν ἀναδιδάξαι τὰς Νεφέλας τὰς δευτέρας καὶ ἀπομέμφεσθαι τὸ θέατρον. ἀποτυχὼν δὲ πολὺ μᾶλλον καὶ ἐν τοῖς ἔπειτα οὐκέτι τὴν διασκευὴν εἰσήγαγεν. αἱ δὲ δεύτεραι Νεφέλαι ἐπὶ Ἀμεινίου ἄρχοντος.*

Quod hic de actarum primarum Nubium anno narratur id confirmatur et scholiis ad v. 549[1]) et cum ipsa ratione adeo convenit ut sine dubio sit habendum pro vero. Et Dionysiis quidem (*τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις*) actas esse colligas etiam ex v. 311 sq.[2]). Deinde non satis placuisse actam fabulam quam maxime confirmatur parabasi (v. 524 sq.). Quod quum immerito sibi accidisse crederet poeta et provocavit ad legentium iudicia, edendo statim fabulam qualis fuerat acta, et denuo eam docere secum constituit. Quam rem quum sibi propositam haberet, imprudenter sane egisset ac nimium se suaque amare visus esset, si intactam reduxisset fabulam; hoc saltem priori iudicio erat tribuendum ut eam retractaret et quae mi-

1) *ὁ Κλέων ἀποθνήσκει ἐπὶ Ἀμεινίου. πρὸ τούτου δέ ἐστιν Ἴσαρχος, ἐφ' οὗ αἱ πρῶται Νεφέλαι εἰσήχθησαν.* cf. ad 552: *Ἐρατοσθένης δέ φησι Καλλίμαχον ἐγκαλεῖν ταῖς διδασκαλίαις ὅτι φέρουσιν ὕστερον τρίτῳ ἔτει τὸν Μαρικᾶν τῶν Νεφελῶν.*

2) ubi schol.: *τὴν παροῦσαν ἑορτὴν λέγει, τουτέστι τὰ Διονύσια. ἀρχομένου γὰρ τοῦ ἦρος ἄρχεται καὶ ἡ πανήγυρις.*

nus placuisse viderentur mutaret. Quamquam enim denuo fabulam scenae commissuri ut omnibus iis theatris poterant uti quae in pagis erant, inter quae eminebat Piraeense, ubi sumptibus cuiusque pagi ruralibus festis agebantur ludi scenici, ita ne a publico quidem urbis theatro lege aliqua videntur fuisse exclusi[1]): tamen parum veri simile est nihil mutatae fabulae chorum ab archonte iterum esse assignatum aut, si ipse poeta vellet impensas ferre vel opulento alicui civi persuasisset ut has praestaret, populum atticum aequo animo tulisse ab importuno poeta sibi denuo obtrudi fabulam aut improbatam aut non satis probatam. Retractabant igitur tales fabulas, sive lecturis volebant edere sive denuo scenae fortunam experiri. Quem communem comicorum poetarum morem fuisse apparet ex Chamaeleontis testimonio, qui apud Athenae. IX. p. 374 AB de Anaxandride haec narrat: *πικρὸς ὢν τὸ ἦθος ἐποίει τι τοιοῦτον περὶ τὰς κωμῳδίας. ὅτε γὰρ μὴ νικῴη λαμβάνων ἔδωκεν εἰς τὸν λιβανωτὸν κατατεμεῖν, καὶ οὐ μετεσκεύαζεν ὥσπερ οἱ πολλοί.* Retractavit itaque etiam Aristophanes suas Nubes, et habemus nos has retractatas, quod quidem elucet cum e scholiorum testimoniis[2]) tum clarissime ex ipsa parabasi[3]). Qua in retractatione quousque progressus sit, quantoque igitur a primis Nubibus differant nostrae, ambigitur.

Ac fuere primum qui fabulam qualem nos habemus, excepta ut par est parabasi proprie sic appellata, dicerent prorsus eandem esse quae Olymp. 89, 1 Athenis esset acta. Cui similem sententiam quum professus esset iam F. G. Welcker[4]), peculiari eam libello defendit Wilh. Esser[5]), ita ut per ali-

1) v. Mus. rhen. N. S. X. p. 223—225.

2) ad 520: *οὐχ ἡ αὐτὴ δέ ἐστιν (ἡ παράβασις) οὐδὲ τοῦ αὐτοῦ μέτρου τῇ ἐν ταῖς Νεφέλαις πρώταις.* cf. ad 543: *ἴσως ἑαυτῷ (παρονειδίζει), ἐπεὶ πεποίηκεν ἐν τῷ τέλει τοῦ δράματος καιομένην τὴν διατριβὴν Σωκράτους — ἐν δὲ ταῖς πρώταις Νεφέλαις τοῦτο οὐ πεποίηκε.*

3) C. Beer, über die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes (Lips. 1844) p. 119 sq.

4) Komoedien von Aristophanes, übersetzt von F. G. Welcker. I. Die Wolken (Giessen u. Darmst. 1810), p. 222—227.

5) De prima et altera quae fertur Nubium Ar. editione. Bonnae 1823. 79 pp. 8.

quod tempus a plerisque comprobaretur, ut a Suevernio[1]), Roetschero[2]), C. Reisigio[3]), F. Ranke[4]), quibus nuperrime subsecutus est R. Enger[5]). Sed mox rationibus allatis eam impugnavere M. H. E. Meier[6]), W. Dindorfius[7]), G. Hermannus[8]); ac refellitur ut iis versibus ac verbis quae citantur ex Nubibus — addita partim notatione primarum — cum tamen in superstite fabula nec inveniantur nec in eam possint inseri[9]), ita iis quae praeter parabasim in nostris Nubibus leguntur, cum tamen certis aut testimoniis aut argumentis constet in prioribus ea non exstitisse.

Contraria fuit F. V. Fritzschii sententia, exprompta illa primum in Indice lectt. Rostoch. 1833, deinde in Quaestionibus Aristophaneis (Lips. 1835) p. 111 sqq. et contra M. H. E. Meieri[10]) ratiocinationem acriter defensa in eiusdem Euphrosyne (Rostoch. 1836), alias fuisse actas Nubes, alias nunc superstites, diversique utramque argumenti fabulam, cum in illis poeta in Socratem maxime propter eius familiares esset invectus, in posterioribus autem ipsum caput petivisset. Quae sententia cum nullo modo stare posset aut cum ipsius poetae verbis (v. 522), aut cum iis quae de retractata tantummodo fabula referuntur, aut cum illis locis nostrarum Nubium quos iam primarum fuisse certum est, non modo a C. F. Hermanno[11]) et C. Beerio[12]) facili negotio est eversa, sed ab ipso quoque eius auctore po-

---

1) über Ar. Wolken (Berol. 1826. 4.) p. 84 sq.

2) Ar. und sein Zeitalter (Berol. 1827) p. 322.

3) Mus. rhen. II (1828) p. 199 sqq.

4) de Ar. vita (B. Thierschii ed. Pluti, Lips. 1830, praemiss.) p. 285—294. 424—426.

5) in Jahnii Annal. LXVIII. p. 123.

6) Hall. Allg. Lit. Zeitung 1827. No. 121.

7) de Aristophanis fragmentis p. 18 sqq.

8) in praefatione editionis Nubium secundae (Lips. 1830) p. XXII sqq.

9) G. Hermann. l. l. p. XV—XX. XXVIII—XXX. Mus. rhen. N. S. X. p. 226—228.

10) Hall. Allg. Lit. Zeitung 1836. Nr. 66 sqq.

11) Prooem. ind. lectt. p. aest. 1837 Marburgi habendarum p. III—X.

12) l. l. p. 131—139.

stea libere reprobata in Commentationibus de fabulis ab Aristophane retractatis, quarum Specimen I prodiit Rostoch. 1849 (VIII et 21 pp. 4.) II ante Ind. lectt. Rost. hib. 1850—51 (p. 3—10), III ib. aest. 1851 (p. 3—8), IV ib. hib. 1851—52 (p. 3—11), V aest. 1852 (p. 3—14).

Quibus in commentationibus transiit Fritzschius in eorum castra qui superstitem fabulam dicunt esse retractatam priorem, sed ita ut haec retractatio a poeta non sit perfecta ac nostrae Nubes post mortem demum Aristophanis ex eius scriptis ab aliquo sint editae. Haec opinio, comprobata ab Hermannis, Godofredo[1]) et C. Fr.[2]), C. Beerio[3]) ceterisque paene omnibus qui nostro quidem tempore hanc quaestionem attigerunt[4]), nititur praecipue egregio Nubium argumento sexto, cuius haec sunt verba:

> *Τοῦτο ταὐτόν ἐστι τῷ προτέρῳ. διεσκεύασται δὲ ἐπὶ μέρους, ὡς ἂν δὴ ἀναδιδάξαι μὲν αὐτὸ τοῦ ποιητοῦ προθυμηθέντος, οὐκέτι δὲ τοῦτο δι' ἥν ποτε αἰτίαν ποιήσαντος. καθόλου μὲν οὖν σχεδὸν παρὰ πᾶν μέρος γεγενημένη διόρθωσις. τὰ μὲν γὰρ περιῄρηται, τὰ δὲ παραπέπλεκται, καὶ ἐν τῇ τάξει καὶ ἐν τῇ τῶν προσώπων διαλλαγῇ μετεσχημάτισται. ἃ δὲ ὁλοσχερῆ τῆς διασκευῆς[5]) τοιαῦτα ὄντα τετύχηκεν. αὐτίκα ἡ παράβασις τοῦ χοροῦ ἤμειπται, καὶ ὅπου ὁ δίκαιος λόγος πρὸς τὸν ἄδικον λαλεῖ, καὶ τελευταῖον ὅπου καίεται ἡ διατριβὴ Σωκράτους.*

Quibus in verbis nihil inesse quod vel severissime existimantium iudicia reformidet falsumve videatur, permulta autem quae, cum nova sint, aliis aut testimoniis aut rationibus ita firmen-

---

1) Praef. Nubium (1830) p. XXVII sq.

2) Disput. de Ar. Nubibus, in Ind. lect. Marb. aest. 1833 hab. et in Jahnii Annal. Suppl. II. p. 413. Deinde in Prooem. anni 1837 laudato.

3) l. l. p. 119.

4) Nec aliud videtur voluisse Dobraeus, qui in Adversariis ad Nub. 1216—1305 quomodo, inquit, Strepsiades, qui tam hebes fuerat 627—790, subito sophista fit? An tum *εἰρωνεύετο*? An ex duabus edd. Nubium confusis explicari debet haec *ἀσυστασία*?

5) Sic Ald., sed Ven. *ἃ δὲ ὁλοσχερῆς τῆς δ.* Inde W. Dindorf.: *τὰ δὲ ὁλοσχεροῦς τῆς δ.*

tur ut pro certis possint haberi, nuper mihi videor demonstrasse in Mus. rhen. N. S. X. q. 214—234[1]). Idem quum paucis annis antea in Schneidewiniani Philologi Vol. VII. p. 325—353 quae ad hanc quaestionem pertinent plurima exposuerim hoc loco paucis ea possum defungi.

Distinguit igitur sexti argumenti auctor in secundis Nubibus mutationum duo genera, quorum prius complectitur leviores ac per totam fabulam dispersas, si quid retractanti poetae iam minus placebat aut cum mutatis aliis locis parum stare videbatur[2]); alterum eas quibus totae scenae sunt retractatae aut in aliarum locum substitutae, quales ille scriptor narrat esse cum parabasim propriam (518—562) tum certamen inter duos oratores institutum (889—1104), postremo finem fabulae (1483 sqq.). Iam quum parabasis non possit non esse plane nova, valde credibile est etiam illud certamen secundis demum Nubibus esse additum. Qua re ut minuitur admiratio quod talis fabula non placuerit Atheniensibus, ita edocemur quid poeta spectaverit in fabula retractanda. Videtur enim suum de Socrate iudicium ita mutasse ut quem in actis Nubibus exhibuerat ut syllabarum aucupem, artis dicendi putidum magistrum, de caelestibus rebus inaudita quaedam ac ridicula somniantem praeque iis patrios deos contemnentem, eum iam doceret esse socium et signiferum illorum qui eversa prisca simplicitate iuventutem redderent impiam, inverecundam, procacem, libidinosam, itaque ostenderet suo iure se cum sophistis commiscuisse Socratem. Quae opinio videtur confirmari Platonis Apologia Socratis, ubi cum p. 18 A veteres calumniatores distinxisset ab iis qui nunc ipsius essent accusatores, p. 19 BC de illis Socrates *εἶεν*, inquit, *τί δὴ λέγοντες διέβαλλον οἱ διαβάλλοντες; ... Σωκράτης ἀδικεῖ καὶ περιεργάζεται ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆς καὶ οὐράνια, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν, καὶ ἄλλους ταὐτὰ ταῦτα διδάσκων. Τοιαύτη τίς ἐστι· ταῦτα γὰρ ἑωρᾶτε καὶ αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀριστοφάνους κωμῳδίᾳ, Σωκράτη τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον, φάσκοντά τε ἀεροβατεῖν καὶ ἄλλην πολλὴν φλυαρίαν φλυαροῦντα, ὧν ἐγὼ οὐδὲν οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν πέρι ἐπαΐω.* Haec cum

1) cf. etiam F. Rankium, de Aristoph. vita, p. 287—294.
2) cf. Mus. rhen. X. p. 226—229.

in actis (prioribus) Nubibus, ut verba docent (ἑωρᾶτε κτλ.), finxisset Aristophanes, in retractatis philosophum incusavit simili prorsus modo ut postea Meletus. Pergit enim Platonis Socrates, Apol. c. 11. p. 24 B ita: περὶ μὲν οὖν ὧν οἱ πρῶτοί μου κατήγοροι κατηγόρουν αὕτη ἔστιν ἱκανὴ ἀπολογία· πρὸς δὲ Μέλητον ... μετὰ ταῦτα πειράσομαι ἀπολογεῖσθαι. αὖθις γὰρ δὴ ... λάβωμεν αὖ τὴν τούτων ἀντωμοσίαν. ἔχει δέ πως ὧδε· Σωκράτη φησὶν ἀδικεῖν τούς τε νέους διαφθείροντα καὶ θεοὺς οὓς ἡ πόλις νομίζει οὐ νομίζοντα, ἕτερα δὲ δαιμόνια καινά. Quae quum claris verbis discernantur a vetustis illis incriminationibus quales actae Nubes vulgarint, et tamen prorsus similia inveniantur in superstite fabula, posteriora haec apparet esse solum retractationis; ac continentur sane ea praecipue scena qua duo oratores decertant de erudiendo Phidippide quamque e sexto argumento constat adiectam esse demum in retractata. Quum igitur priores Nubes Socratem magis ut ridiculum ineptumque ludi magistrum effinxissent, secundae insuper eum docent esse civem perniciosum. Itaque normam aliquam nacti sumus ad quam discernamus quid primarum Nubium videatur esse, quid secundarum. Ad illas referemus eos locos ubi Socrates vel Strepsiadem vel Phidippidem docet τὸ (εὖ) λέγειν, ut v. 430. 486 sqq. 874 sq. 1143; ad secundas autem eos ubi Phidippides discere dicitur ipsum λόγον ἥττω sive ἄδικον, magis minusve personae habitu indutum, ut 112 sqq. 1148 sq. 882—888. Nec desunt aliae rationes (in annotationibus maximam partem aut expositae aut significatae) quibus moti ad priores Nubes dicamus pertinere versus 145 (Fritzsch. fab. retr. IV. p. 9 sq.). 186. 225. 323 (Fr. IV. p. 9). 510 sq. 700—706. 731—739. 805—813. 874—881. 1105—1130. 1196—1200, ac fortasse 104. 144 sqq. 156 sqq. 311 sqq. (275—290. 299—313; Fr. IV. p. 10 sq.) 575—580. 627—693. 831. 1131—1143 (— 1213? Fr. IV. p. 6 sq.). 1345 sqq. 1417 (1321—1452? Fr. IV. p. 8). 1465 sq. 1506 sq. cf. etiam adn. crit. ad 1376. 1431. Sed vestigia vel διορθώσεως vel διασκευάσεως praeter nominatos supra locos scenasque prae se ferunt etiam v. 412—422. 423—426. 512—517. 581—594. (607—627?) 694—699. 707—730. 740—745. 804 sqq.

Quo plura autem poeta novavit in sua fabula, eo certius

videtur in animo eum habuisse Nubes denuo scenae committere. Vix enim possis alio modo explicare quod ille actam non modo sed etiam editam fabulam nihilominus tantopere retractavit. Eodem ducunt ut sexti argumenti sic ipsius quoque poetae verba in parabasi (ὦ θεώμενοι). Ac voluisse Aristophanem iisdem ludis docere retractatas Nubes et per se credibile est, ut ignominiam coram peregrinis acceptam praesentibus peregrinis aboleret[1]), nec quidquam continetur nova parabasi quod vetet illud sumere. Sed num poeta quod in animo habuit id etiam fecerit in ambiguo est: contendit quinti argumenti auctor, vel annum adiiciens quo secundae Nubes sint actae, negat autem is qui sextum conscripsit. Et in publico quidem urbis theatro eas non esse actas certum est. Ut enim Schol. Nub. 549 negat tradi quo anno et festo sint actae[2]), ita disertius unicus auctor Eratosthenes[3]) solas priores Nubes vocat τὰς διδαχθείσας, quibus opponit τὰς ὕστερον διασκευασθείσας secundas et addit: αἱ διδασκαλίαι (illius theatri) δὲ δῆλον ὅτι τὰς διδαχθείσας φέρουσι, explicaturus ille quod sileant de secundis. Falsum igitur est quod narrat quinti argumenti auctor indeque fictum quod sequenti statim anno, quo Amynias erat archon, Nubes credebant reductas, quem errorem insulse firmabant Amyniae nomine in Nubibus quae nunc leguntur obvio. Refert enim Schol. ad v. 31: (Ἀμυνίου) μνημονεύει, τὸν τότε (scil. Ol. 89, 2) ἄρχοντα διασύρειν προαιρούμενος .. τότε γὰρ ἦρχεν Ἀμεινίας τοῦ Προνάπους υἱός; quibus subiiciuntur etiam ineptiora de mutato (in Ἀμυν.) archontis nomine (Ἀμειν.). Sed hoc anno actas esse Nubes secundas vel idcirco incredibile est quod eo Aristophanes et Vespas et Proagona scenae tradidit[4]).

Num vero in pagi alicuius theatro — ut Piraeei — actae sunt secundae Nubes? Contendit id quidem ac suo modo probare studuit R. Enger in commentatione de parabasi Nubium

1) Fritzsch. Qu. Ar. p. 182. cf. de fab. retr. IV. p. 11.

2) οὐ φέρονται αἱ διδασκαλίαι τῶν δευτέρων Νεφελῶν.

3) Schol. Nub. 552. cf. Mus. rh. X. p. 216 sq. et infra p. 11. not. 3.

4) cf. G. Hermann. Praef. p. XIII sq. W. Dindorf. ad Ar. fragm. p. 507 sq. ed. Ox. Fritzsch. retr. II. p. 5. 6 sq.

Aristophanis[1]), sed nescio an eodem eventu quo vetus ille grammaticus. Mihi quidem illud commentum satis videor refutasse in Jahnii Annal. LXIX. p. 549—558, quaeque meis ille respondit (ibid. LXX. p. 99—103) errorum plena[2]), iis non timeo ne quisquam sit permotus ut illi mallet fidem habere quam Eratostheni et sexti argumenti egregio auctori, qui quum secundas Nubes negent omnino esse actas negant etiam esse actas in Piraeeo. Auctoris huius verba fide videntur eo digniora quo veriora sunt unde sua colligit. Idcirco enim negat retractatam fabulam esse actam quia ipsa retractatio non sit ad finem perducta. Quod ita se habere apparet cum ex lacunis in fabula, qualis quidem nunc est, conspicuis (ut v. 888. 1104), tum inde quod aliis locis stropha et antistropha non satis inter se congruunt (cf. 700—706 cum 804—813 et 953 sq. cum 1028 sq.), aliis res ac verba aut inaniter repetuntur aut inter se pugnant (ut 700 sqq. 723 sqq. 804 sqq. 1105 sqq.), quae omnia non dubium est poetam, si fabulam ita pertractasset ut denuo spectandam daret, fuisse emendaturum. Porro quae in Nubibus memorantur res in rep. Atheniensium gestae non ad illum modo annum referri possunt quo fabula est acta (Ol. 89, 1), quod potest utique v. 186, sed ad insequentem quoque (v. 581 sqq.) et proximum huic (550) ac tertium postea (553 sq.), ut mittamus eos locos de quorum interpretatione non constat (cf. ad 551. 1091). Quibus e rebus ut recte videtur coniecisse schol. ad v. 591 Aristophanem per aliquantum temporis spatium secum agitasse consilium fabulae in scenam reducendae ideoque ad intermissum aliquamdiu opus retractationis alio tempore esse reversum[3]), ita eodem iure colligas poetam illud consilium postremo abiecisse, quippe qui non fuisset passurus ut in eadem fabula tam diversorum temporum vestigia remanerent, partim cum notatione iam non amplius congrua (624), utve in eadem Cleo et vivus (581 sqq.)

1) Ueber die Parabase der Wolken des Ar. Von R. Enger. Ostrowo 1853. 21 pp. 4.

2) cf. Mus. rhen. X. p. 216 sq. 222.

3) *δῆλον οὖν ὅτι κατὰ πολλοὺς τοὺς χρόνους διεσκεύασε τὸ δρᾶμα· καὶ ταῦτα μὲν οὐ πολλῷ ὕστερον, ἐν οἷς δὲ Εὐπόλιδος μέμνηται καὶ τῶν εἰς Ὑπέρβολον κωμῳδιῶν, πολλῷ.*

et mortuus (550) esse narraretur, in eademque et impugnaretur Hyperbolus (876. 1065) et de assiduis eius impugnationibus rideretur (551 sqq.). Abiecisse autem videtur istud consilium restincto per interlapsum tempus paulatim operis studio et amore, cum modo composita insequentibus rebus statim antiquarentur, ut Cleonis morte epirrhema (575 sqq.), de aliis poetae dubitatio oriretur num starent cum veritate, ut de iis maxime credibile est quae finxerat de Socrate.

Sic imperfecta cum inveniretur fabula post poetae mortem nihilominus videbatur tanto praestare editis iam primis Nubibus tamque multas habere virtutes sibi proprias ut optimo iure superstites filii has secundas Nubes ipsas quoque edendi consilium caperent, quam rem is a quo suscepta erat ita videtur peregisse ut, assumto ex priori opere quidquid non esset ab Aristophane damnatum aut aperte pugnaret cum novis, efficeret ut fabula sine magna offensione posset legi et aliquo saltem modo absolutae speciem prae se ferret[1]). Itaque aliquamdiu duae Nubium conformationes ferebantur[2]), quamquam ita ut edita ab ipso poeta prior prae posteriore ac meliore paulatim in oblivionem veniret. Nec videntur illam multi in manibus habuisse; Callimachus certe numquam vidit[3]), nec septimi argumenti auctor; sed viderunt Eratosthenes et Nicander, vidit qui sextum argumentum composuit, atque etiam Athenaeus[4]). Quae ex iis citantur enumerabimus hoc ordine ut primo loco ponamus quae, quum diserte dicantur priorum esse, in nostris quoque Nubibus inveniuntur, deinde subiungamus quae e Nubibus afferuntur, cum in superstite fabula non legantur, ideoque primarum fuisse videntur[5]).

1) Fritzsch. IV. p. 4 not. cf. G. Hermann. Praef. p. XXVII.

2) Arg. VII: *διτταὶ δὲ φέρονται Νεφέλαι.*

3) cf. Schol. Nub. 552: *Ἐρατοσθένης δέ φησι Καλλίμαχον ἐγκαλεῖν ταῖς διδασκαλίαις ὅτι φέρουσιν ὕστερον τρίτῳ ἔτει τὸν Μαρικᾶν τῶν Νεφελῶν, σαφῶς ἐνταῦθα εἰρημένου ὅτι πρότερον καθεῖται. λανθάνει δ' αὐτὸν ὅτι ἐν μὲν ταῖς διδαχθείσαις οὐδὲν τοιοῦτον εἴρηκεν κτλ.*

4) Fritzsch. IV. p. 5 sqq. Mus. rh. X. p. 215—218.

5) cf. G. Herm. Praef. p. XV—XX. XXIX sq. C. F. Hermann. 1837. p. IX sq. Dindorf. ed. Ox. II. p. 509—513. Beer l. l. p. 124—126. Fritzsch. de fab. retr. V.

1. Athenae. IV. p. 171 C *μήποτε δὲ καὶ ὃν καλοῦσι Ῥωμαῖοι προγεύστην τότε οἱ Ἕλληνες προτένθην ὠνόμαζον, ὡς Ἀριστοφάνης ἐν πρότεραις Νεφέλαις διὰ τούτων*

Πῶς οὐ ..... ἡμέρᾳ μιᾷ (v. 1196—1200).

Ubi addito *πρότεραις* scriptor illa verba fuisse iam in actis Nubibus significat eo consilio ut iure se, cum temporum ordinem sequeretur, hoc exemplum posuisse ostendat ante desumptum aliud ex Agrestibus Pherecratis, quam fabulam auctor eadem demum olympiade docuit qua Aristophanes Vespas.[1])

2. Schol. Par. ad Plat. Axioch. p. 967, a. l. 31 sqq. ed. Turic.: *δὶς παῖδες οἱ γέροντες] ἐπὶ τῶν πρὸς τῷ γήρᾳ εὐηθεστέρων εἶναι δοκούντων. μέμνηται δὲ αὐτῆς* (sc. *τῆς παροιμίας*) *Κρατῖνος ἐν Δηλιάσι λέγων* ... (fr. 35 Mein. min.) *καὶ Πλάτων ἐν Νόμων α'* (p. 646 A) *καὶ Μένανδρος Χήρᾳ καὶ Ἀριστοφάνης Νεφέλαις α'*. Quum non incredibile sit esse Nub. 1417 ex prioribus, potest sane is scriptor ex quo sua hausit Scholiasta in manibus habuisse editas Nubes primas.

3. Diogen. Laert. II, 5, 18: *Σωκράτης Σωφρονίσκου μὲν ἦν υἱὸς* ..... *ἐδόκει δὲ συμποιεῖν Εὐριπίδῃ· ὅθεν* ..... *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις·*

Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι, τὰς σοφάς.

Ubi ut sententia cuius caussa versus a Diogene prolati sunt appareret coniecere alii *Εὐριπίδου*, Reisigius (Praef. Nub. p. XXI), quamvis cunctanter, *Εὐριπίδῃ*. Nihil mutandum censui in Mus. Rh. X. p. 227, dummodo versus putares in Nub. I locum habuisse circa v. 184—217, ita ut inter Socratis discipulos ostentatus esset etiam Euripides, in ipso *φροντιστηρίῳ* tragoedias conficiens. Eos qui verba non Aristophani, sed Teleclidi assignanda crediderunt refutavit Fritzschius cum in Quaest. Ar. p. 154 sqq., tum in comm. de fab. retr. V. p. 7 sq.

4. Athen. XI. p. 479 C: *κοτυλίσκος δὲ καλεῖται ὁ ἱερὸς τοῦ Διονύσου κρατηρίσκος, καὶ οἷς χέονται οἱ μύσται, ὡς Νίκανδρός φησιν ὁ Θυατειρηνός, παρατιθέμενος τὸ ἐκ Νεφελῶν Ἀριστοφάνους Μηδὲ στέψω κοτυλίσκον.* Qui anapaesti quem in Nub. I locum obtinuerint hodie non potest sciri, et conie-

1) F. Ranke, de Aristoph. vita, p. 290.

cerunt alii alia, ut C. F. Herm. 1837. p. IX[1]), Fritzsch. IV. p. 6. V. p. 12 sq.

5. Suidas: *οὐ μετὸν αὐτῷ· ἀντὶ τοῦ οὐκ ἐξόν* (immo: quum particeps non sit). *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις.* In parabasi priorum Nubium locum habuisse existimat C. F. Herm. 1837. p. X.

6. Antiatticista Bekkeri p. 98, 1: *Ζυμήσασθαι· Ἀριστοφάνης Νεφέλαις*[2]).

7. Idem p. 105, 2: *Κόλασμα· Ἀριστοφάνης Νεφέλαις.*

8. Schol. Vesp. 1038: *τοῖς ἠπιάλοις*] *Ἤπιαλος τὸ πρὸ τοῦ πυρετοῦ κρύος. Ἀριστοφάνης Νεφέλαις, καὶ Θεσμοφοριαζούσαις* (fr. 327 M. min.) „*ἅμα δ' ἠπίαλος πυρετοῦ πρόδρομος*". Ac deinde: *πέρυσιν*] *πέρυσι γὰρ τὰς Νεφέλας ἐδίδαξεν, ἐν αἷς τοὺς περὶ Σωκράτην ἐκωμῴδησεν. ἠπιάλους δὲ αὐτοὺς ὠνόμασεν* (etiam in Nub. I?), *ὡς ὠχρότητα παρασκάπτων* (cf. ad Nub. 103.). Nisi Socratici potius ut noxii cives et pestis quaedam reipublicae vexati erant (Fritzsch. V. p. 14).

9. Photius p. 428, 27 et Suidas v. *πηνίον, ζῷον ὅμοιον κώνωπι. Ἀριστοφάνης Νεφέλαις·*

κείσεσθον ὥσπερ πηνίῳ κινουμένῳ

(Suid. *βινουμένῳ*), *ἀντὶ τοῦ ξηροί. σκώπτει γὰρ τοὺς περὶ Χαιρεφῶντα εἰς ξηρότητα καὶ ἀσθένειαν.* Veri simile est pertinuisse hunc versum ad postremam fabulae scenam, in qua poenas dant Socrates et Chaerepho (G. Herm. Praef. p. XVI). cf. ad Nub. 1497. 1505 sq.

10. Photius p. 398, 11: *Πάρνης· τὸ ὄρος θηλυκῶς·*

Ἐς τὴν Πάρνηθ' ὀργισθεῖσαι φροῦδαι κατὰ τὸν Λυκαβηττόν.

Ἀριστοφάνης Νεφέλαις, καὶ ἑξῆς. Hunc quoque versum decerptum esse ex ultima fabulae scena[3]) maxime credibile esset, nisi obstaret Photii *καὶ ἑξῆς*, quo significatur poetam in eadem

---

1) „Strepsiadi tribuimus quaerenti num se novis insanientis sapientiae sacris initiatum ne poculum quidem amplius Libero patri coronare sive implere oporteat".

2) „Nos inter ea exempla quibus vel Strepsiades vel ipse Socrates nubium potestatem rerumque naturalium caussas documentis ex re domestica petitis illustravit fermentationum quoque mentionem non miramur", C. F. Herm. l. l. p. X.

3) Quod coniecerat Fritzsch. Qu. Aristoph. p. 160. cf. Fab. retr. V. p. 10—12. Mus. rh. X. p. 227 sq.

proripit se Strepsiades, se mulcatum conquerens a filio, qui rem non modo fatetur sed recte factam esse pollicetur se demonstraturum. Quo probato quum matrem quoque iure mulcari a filiis docere paret Phidippides, iam pater perspicit quid sit re vera haec nova sapientia et quo perducat, eiusque auctores incensa domo expellit (Ἔξοδος, 1321—1510).

Apparet ex his et confirmatur ipsius poetae testimonio (Vesp. 1038 sqq.) versari fabulae consilium in hoc maxime ut impugnetur nova doctrina et disciplina, quam invexerant sophistae, pro quibus omnibus perstringitur Socrates[1]). Et quum alii poetae comici sophistas philosophosque notassent aut ut arrogantes sciolos (ut Cratinus Πανόπταις) aut ut divitum assentatores (quod fecerant Κόλακες Eupolidis), Aristophanes ipsam rem et caussam aggressus est, illatam ab illis doctrinam, qua per iuventutem videbantur corrumpere totam civitatem. Oderat autem poeta novam istam doctrinam ut antiquae simplicitatis amator morumque integritatis[2]), quarum ex imminutione et interitu omnia patriae mala credebat manare. Et contulerunt sane sophistae quam plurimum ad evertendam illam simplicitatem, Socrates autem multa habebat quae ipsi essent cum istis communia, hoc praecipue quod ipse quoque rationi potius quam legum hominumve auctoritati putabat obtemperandum. Accedebat quod etiam Socrates adolescentulis potissi-

---

1) De Socrate Aristophanis cf. cum libros p. 14 not. 3 laudatos (ut Suevern. p. 3—19) tum hos: *Reisig* ante editionem fabulae (Lips. 1820) p. VIII—XXX. *Roetscher*, Aristophanes und sein Zeitalter (Berol. 1827), p. 247 sqq. 388 sqq. *V. Cousin*, Socrate de la part que peut avoir eue dans son procès la comédie des Nuées, in eius Nouveaux fragmens philosophiques (Paris 1828), p. 150—159. *G. Hermann*, ante ed. fab. (Lips. 1830), p. XXXII—XLVI. *F. V. Fritzsche*, de Socrate veterum comicorum, in eius Quaest. Ar. I. (Lips. 1835), p. 99 sqq. *H. Funkhaenel*, über Socrates u. seine Feinde, Zeitschr. f. Alt. 1835. p. 818 sqq. *J. A. Grothe*, de Socrate Aristophanis, Trai. ad Rh. 1843. 8. *Zorn*, Aristoph. in seinem Verhältniss zu Socrates, Baireuth. 1845. 4. *Chr. Petersen*, Aristoph. und die Philosophen seiner Zeit, Allg. Monatsschr. 1852. p. 1107—1118. *M. Landsberg*, über den Socrates in den Wolken des Ar., Philolog. VIII. p. 94—103.

2) cf. commentationem meam, Aristophanes' Stellung zu seiner Zeit, Morgenblatt 1855, p. 777—782. 802—806.

mum instituendis operam dare videbatur ideoque in eum quoque culpa coniici posse si quid minus probaretur in illorum moribus; praesertim quum multos qui novitiorum morum videbantur signiferi, ut Euripides, Alcibiades, appareret esse cum Socrate coniunctos[1]). Erant quidem illa quibus Socrates distinguebatur a sophistis quam gravissima, hoc maxime quod verbis certare solebat non exercitandi ingenii caussa aut ut vinceret seque ostentaret, sed ut verum inveniret; sed talia facile poterant eum fugere qui non ipse philosophiae esset peritus nec rem diligentius pervestigaret. Quare non mirum quod vulgo omnes philosophi videbantur esse pares ac permiscebatur cum sophistis Socrates ut ab Eupolide[2]) et oratore Aeschine[3]) sic postea ab illius et accusatoribus et iudicibus[4]); quid quod vel ex iis qui eius disciplina fuerant usi erant qui illam opinionem aut haberent aut habere se simularent, veluti Critias, quem quidem Xenophon[5]) narrat lege proposita *λόγων τέχνην μὴ διδάσκειν* eo consilio vetuisse ut haberet quo Socratem circumveniret, *τὸ κοινῇ τοῖς φιλοσόφοις ὑπὸ τῶν πολλῶν ἐπιτιμώμενον ἐπιφέρων αὐτῷ καὶ διαβάλλων πρὸς τοὺς πολλούς* (scilicet *τὸ διαφθείρειν τοὺς νέους*). Idem igitur Aristophani quoque accidit, philosophiae nec amanti nec curioso; eumque, quum philosophos adolescentium corruptores in scena vellet traducere, in Socratem potissimum incidere eo magis erat consentaneum quia huius et adspectus et mores largam ridendi materiam videbantur praebere, et quia omnium qui tum Athenis philosophiam profitebantur solus Socrates erat civis Atheniensis solusque ideo idoneus qui in publico urbis theatro civibus produceretur[6]). Qua in re ita versatus est poeta ut suo Socrati tribueret partim quae in vero conspiciebantur partim quae ab aliis philoso-

1) cf. Suevern. l. l. p. 56 sqq.

2) fr. 311 Mein. min. *μισῶ δὲ καὶ τὸν Σωκράτην, τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην*, cf. 312: *ἀδολεσχεῖν αὐτὸν ἐκδίδαξον, ὦ σοφιστά.*

3) c. Timarch. §. 169 = 173: *Σωκράτην τὸν σοφιστὴν ἀπεκτείνατε ὅτι Κριτίαν ἐφάνη πεπαιδευκώς.* cf. G. Herm. Praef. p. XXXVII.

4) cf. C. F. Hermann, Geschichte der platon. Philosophie I. p. 320. not. 270—272.

5) Mem. I, 2, 31.

6) F. Ranke, vit. Ar. p. 439. C. Fr. Herm. Gesamm. Abh. p. 259.

phis, praecipue Protagora[1]), erant desumta[2]). Veri Socratis erat tota figura ac species atque etiam vivendi ratio et consuetudo exemplis ex medio petitis sua illustrandi; sed ut non omnia veri Socratis translata sunt in personatum (veluti desunt daemonium, ironia, interrogationum ratio), ita multo minus omnia quae personatus prae se fert conveniunt vero, qualia sunt quae de illius doctrina et studiis proferuntur pleraque et maxime quae de pecuniae cupiditate. Hoc ipso autem modo confirmabatur rursus vulgi de Socrate opinio, ut non iniuria Plato Socratem faceret conquerentem quod Aristophanis fabula adiuti sint falsi de ipso rumores. Quamquam tum quidem quum ageretur fabula aequissimo animo eam tulisse videtur philosophus, quippe de quo Plutarchus[3]) haec narret: *Ἀριστοφάνους, ὅτε τὰς Νεφέλας ἐξέφερε, παντοίας πᾶσαν ὕβριν αὐτῷ κατασκεδαννύντος καί τινος τῶν παρόντων „τὰ τοιαῦτα ἐναπομφαδοῦντος οὐκ ἀγανακτεῖς“, εἰπόντος, „ὦ Σώκρατες;“ Μὰ Δί' οὐκ ἔγωγε, ἔφησεν· ὡς γὰρ ἐν συμποσίῳ μεγάλῳ τῷ θεάτρῳ σκώπτομαι*[4]). Aristophanes autem sine dubio boni civis munere sibi videbatur fungi impugnando per Socratem sophistas omnesque philosophos et eorum vim ad conformandas adolescentium mentes. At nec iure Socrates permiscebatur cum sophistis nec ipsorum sophistarum disciplina erat aut ridicula aut sola vel primaria mutatorum morum caussa; nequivissent enim tantam potentiam nancisci nisi civium ingenia ad eorum doctrinam fuissent praeformata.

Itaque quum poeta in eligenda fabulae materia non satis feliciter egisset nec aliarum (Acharnensium praecipue) praestantiam poterat assequi nec solitos exspectatosque plausus.

---

1 cf. Petersen, Philologisch-historische Studien, p. 133 sqq. cum C. Fr. Hermanni censura, Zeitschr. f. Alterth. 1834, p. 373 sqq.

2) Suevern p. 3 sqq. inprimis p. 12. 19. 30.

3) de educand. lib. c. 14. (T. VII. p. 38 sq. Hutten.)

4) cf. Sen. de const. sap. 18 (I. p. 33 Haase): respiciamus eorum exempla quorum laudamus patientiam, ut Socratis, qui comoediarum publicatos in se et spectatos sales in partem bonam accepit risitque non minus quam cum ab uxore Xanthippe immunda aqua perfunderetur. Vide etiam Diog. Laert. II, 5, 36 stultique Aeliani narratiunculam, V. H. II, 13 sub finem.

Primum enim id quod agitur in scena nec omne est lepidum, sed nonnunquam frustra laborat risum movere rebus non ridiculis (ut 200 sqq. 636 sqq.), et premitur quadam lentitudine ac tarditate. Sapienter quidem in fabula qualis nunc est Phidippides instituitur pone scenam, sed in Strepsiade docendo iterumque docendo tantum temporis consumitur ut spectatoribus fortasse visum sit nimium. Nec sibi satis constat id quod agitur aut agentium habitus. *Strepsiades* enim quum fabulae persona videatur primaria, illius antiquioris aetatis vir novitiis artibus nondum imbutae, qui tamen periculum facere decrevit num harum ope ab aere alieno posset liberari, ubi primum iis accuratius cognitis deterritus est a proposito ac sanatus et ad pristinam probitatem reversus, fabulam par erat concludere, lentiore quidem quam nunc est ratione, sed iustiore. At ita non satis factum esset poetae primario consilio, quod in illis artibus erat positum. Quarum quum demonstrasset vim perniciosam voluit etiam punire auctores[1]). Quamquam a Strepsiade quidem puniri Socratem idcirco non erat aequum quia huic ille semet ipsum ac filium non obtulerat modo sed obtruserat[2]). Mox *Socratis* persona in eo nunc sibi non constat quod idem qui ipse vivendi ratione uti dicitur durissima eamque discipulis imperare, idem exhibetur discipulos docens genio indulgere ac ius fasque pervertere. Porro nubecularum *chorus* quo iure in extrema fabula (v. 1458 sqq.) repente furias quasdam agit? cur amatoribus suis insultare senem aequo animo silensque patitur?[3]) Obstitit nimirum poetae animus indignabundus ne severas artis leges sequeretur. Obsecutus est autem his in describendo Phidippide, quippe quem non ipsum quoque contra naturam ac veritatem faceret desciscentem a nova doctrina. Id vero quod et Phidippides et Strepsiades universi generis simulacra sunt (nam illo Alcibiadem innui et hoc aliquatenus Periclem Suevernius[4]) nec persuasit cuiquam nec persuadebit) poetae nequaquam velim vitio ver-

1) cf. C. Fr. Herm. Ges. Abh. p. 260 sq.

2) Suevern. l. l. p. 78 sq.

3) cf. Suevern. p. 80. Droysen l. l. III. p. 15 sq.

4) l. l. p. 33—55. cf. G. Herm. Praef. p. XLII. C. Fr. Herm. ap. Jahn. l. l. p. 418.

tere; ac ne ea quidem quae minus videntur probanda tam gravia duco ut de tota fabula liceat iniquius iudicare, nedum imminuere valeant aut obscurare multarum scenarum dictorumque subtilitatem ac leporem et numerorum atque sermonis mixtam cum varietate summam elegantiam et suavitatem; praesertim si quis hoc reputet, fabulam, qualem quidem nos habemus, non esse ab ipso poeta ad umbilicum perductam.

De re scenica ut pauca addam, personae ita videntur fuisse distributae ut primarum partium actor exhiberet Strepsiadem et oratorem iustum, si quidem huius et iniusti fuerunt aliquae partes in acta fabula, secundarum autem Socratem, oratorem iniustum, Pasiam; tertiarum Phidippidem, discipulum, Amyniam. Reliquae personae cum aut nihil proferant, ut in secunda scena ceteri discipuli et postea Pasiae testis, aut pauca verba, ut Strepsiadis servus (Xanthias) et Chaerephon, actae videntur a choreutis.[1])

Scena exhibet vicum urbis Athenarum, cuius in altera parte domus est Strepsiadis, in altera Socratis. Ante illam posita videtur imago Mercurii (v. 1478), ante hanc simulacrum Turbinis (ad 1473), in ipsa Strepsiadis domo cogitanda videtur statua Neptuni equestris (83). Ab initio fabulae conspicitur Strepsiades, cum sit diluculum, reclusa ianua domi suae insomnis in lecto cubans; prope eum dormiens filius; deinde interiecto aliquo spatio stertientes servi. Postquam filius a patre e somno excitatus est (80) uterque domo sua egreditur, in quam redit Phidippides (125), cum Strepsiades petat aedes Socratis, ante quas aliquamdiu colloquitur cum discipulo (133 sqq.); aperta tandem per ἐκκύκλημα (ad 184) domo conspicit primum discipulos (184 sqq.), qui deinde (195) iubentur introire, postremo (218) ipsum Socratem, qui illius precibus motus descendit (237) de sublimi sua statione cumque eo prodit in publicum, unde initiato Strepsiade intrant in aedium partem interiorem (498). Exeunt inde post parabasim (627), iamque aguntur reliqua in publico inter utramque domum. Cetera suo quodque loco sunt explicata.

---

1) Paullo aliter rem disposuerunt Beer l. l. p. 128 et Kock p. 31, not. 3.

Restat ut de huius editionis consilio exponam quam brevissime; nam brevitati per totum libellum studui maxime, et nisi ille suam caussam ipse aget, ego frustra laborabo. Non disseram igitur de rationibus quas secutus sim in verbis fabulae constituendis; constat enim de illis hodie inter omnes qui harum rerum sunt periti, nec est in ipso opere factitando dissensus, nisi quod alii plus, alii minus tribuunt coniecturis. Quamquam in Nubibus quidem nec de hac re inter sanos facile potest esse opinionum varietas; habemus enim earum et permultos et aliquot perbonos libros, qui utinam essent ita ut ratio postulat collati, ne vel de optimi scriptura multis locis etiam nunc dubitaretur. Talibus in locis G. Hermanno potissimum auctori fidem habere iubebat eius Praef. p. X. Ii autem loci in quibus tam aperta corruptela omnes codices invasit ut ad editorum commenta sit confugiendum quum videantur esse perpauci, ne libellum premerem inutili onere, paucas coniecturas commemoravi; pauciores recepi. Nec nisi raro indicavi quis ante me unumquodque ex libris recepisset; ut enim ipse non alicuius hominis auctoritati cessi, sed rationum necessitati, ita nec alios volui viam ire diversam. Ubi variant libri scripturas exposui eas ex quibus appareret quo quodque iure niteretur, saepe etiam quibus intercedens inter singulos libros necessitudo fieret perspicua; in posteriore autem fabulae parte, ubi alia difficultas aliam excipit, lectionis varietatem haud raro exhibui totam. Maluissem quidem optimorum tantum lectiones proferre quam gregem trahere; sed quum nec de omnibus constaret quo essent loco habendi, nec tutum de generibus esset iudicium priusquam qui in censum veniunt omnes pari diligentia haberemus collatos, deinde etiam inferioris classis libri aliquoties haberent quod aut esset verum aut ad hoc duceret, postremo adhibitis siglis chartae spatium exigeretur quam minimum: molestae diligentiae vituperationem minus fugi quam operae nimium festinatae.

In rerum verborumque interpretatione hoc spectavi ut quantum per me quidem posset fieri nec remaneret quidquam obscuri nec plus quam ad illustranda illa opus esset proferretur. Itaque refellendis aliis operam consumere nolui, satis habens id quod mihi videretur rectius expromere. Quod si ab

alio occupatum vidi adscripsi, ut aequum erat, primi auctoris nomen, nisi ubi res erat planissima et a nullo interprete non adnotata. Verba priorum editorum in brevius contrahere aut, si res ita ferebat, leviter immutare haud nefas duxi, quum penes unumquemque esset ipsos fontes adeundi potestas; quod cum alibi feci tum saepissime in iis quae attuli ex scholiis graecis. Ad significandos autem libros vel scriptos vel editos scribendi compendiis usus sum his.

A. Codicum.[1])

A Ravennas, membranaceus, forma maxima, foliis ferme 180, antiquus (saec. XI). Insunt fabulae XI hoc ordine: Plut., Nub., Ran., Av., Eq., Pax, Vesp., Lys., Ach., Thesm., Eccl. Primus eo usus est, quamvis non nominato, Ant. Fracinius in ed. Iuntina a. 1525, postea contulit Invernizius, deinde (a. 1818) I. Bekker (cf. G. Herm. praef. p. X). De huius libri auctoritate cf. Kk. in M. Rh. VIII. p. 341—345.

B Venetus (bibl. Marc. 474) membranaceus, forma quadrata, foliis 172, Ravennate non multo recentior, cum quo ex eodem fonte videtur fluxisse. Consentit quidem cum eo saepissime et habet Plut., Nub., Ran., Eq., Av., Pac., Vespas. Collatus est ab I. Bekkero.

C Caninianae editionis (Lugd. 1548) margo, in quo fortasse Dudithius Plutum, Nubes, Ranas contulit cum codice bonae notae. Apud Porsonum L vel Lib. L.

D Dorvillianus, scriptus a. 1451, nunc Bodleianus X, 1. 3, 13.

E Baroccianus 127 in Bibl. Bodleiana. Liber antiquus in membrana. Porsoni B.

F Dobraei 1 vel Cant. 1, in Bibl. publ. Cantabrig. nr. 3, 15. E saeculo fortasse XIV. Continet Plutum et Nub. 1—470 e supplemento scribae recentioris, deinde Nub. 500—1510. et Ranas cum glossis et scholiis a manu satis eleganti.

G Dobraei 3 vel Cant. 3. Bibl. publ. Cant. 3, 3. Satis re-

1) cf. Dobraei Indicem p. VII—X. G. Hermanni praefationem p. IV—XI. B. Thierschii ad Plut. p. XXXVI—XLI. CDLXXXI sq. Dindorfii Indicem ed. Oxon. 1837. III, 1. p. XIII—XVII.

cens ac saepe mendose scriptus, sed multas optimas lectiones exhibens. Continet Plutum ac Nub. cum scholiis et glossis.

m Porsoni A, Harleianus 5664 in Museo britannico. E Bar. 127 (E) eum fluxisse apparet.

n Dindorfii Florentinus Θ sive Laurentianus 2779, chartaceus saec. XIV. Insunt Plut., Nub., Eq., Ran., sed a Dindorfio collati tantummodo Eq.

a Brunckii A, Ernestii Regius (R), membranaceus, saeculi XIII. Paris. nr. 2712. Continet Plut., Nub., Av., Eq., Ach., Eccl. 1—444.

b Brunckii B, chartaceus, Paris. nr. 2717.

c Brunckii C, reg. Paris. bombycinus. Continet Plut., Nub., Ranas.

d Brunckii D vel meus, bombycinus. Continet easdem fabulas, ab eodemque Michaele Apostolio in Creta est conscriptus qui antea Monacensem (s) exaraverat Romae; cf. B. Thiersch. l. l. p. XXVII.

e Brunck. reg. Par. 2820, vel E. Apud G. Hermannum quartus Regius. Easdem fabulas complectitur.

f Dobraei 2 vel Cant. 2, priore (F) recentior, continens Plut., Nub., Ranas. In eo alius scriba (Corrector ap. Dobr.) et varias lectiones plurimas annotavit et ipsum textum subinde refinxit.

g Dobraei 4 vel Cant. 4. (Bibl. publ. Cant. nr. 3, 16), recens ac valde interpolatus. Continet Plut. ac Nubes cum scholiis.

h Dobraei 5 vel Harl. 5 (Harleianus 5725), continet Plut. (a v. 266) ac Nubes. In Plut. post v. 551 et per totas Nubes plerumque consentit cum n, u, maximeque cum z.

i Dobraei 6 vel Harl. 6 (Harleianus 6307), Plutum continens ac Nubes, deinde Ranas ab alia manu, recentissima illa et inelegantissima.

k Dindorfii Flor. Δ. Laurentianus 31, 16. chartaceus saec. XV. foliis 259 formae quartae minoris; a Dindorfio collatus in Eq., Ach., Av., Vesp., Lys., sed continens etiam Plut., Nub., Ran.

l Tubingensis (Mb 32), olim M. Crusii, chartaceus, forma quadrata, saeculi XV, manu conscriptus valde expedita et

compendiosa, omittens plerumque ν ἐφελκ. (ut Nub. 96. 100. 127. 140) et iota subscr. (nisi quod 58 habet κλάῃς, 60 νῶιν, 66 τῷ χρόνῳ). Continet Plutum (p. 1—133), Elegiam Basinii de Hippodamia (p. 134—140), Nubium v. 1—144 (p. 141—156). Collatum cum Brunckiano textu descripsit G. L. F. Tafel in Seebodii Novo Arch. phil. IV. (1829.) nr. 34. Cuius collatio cum non statim ad manum esset, quod ad Nubes pertinet ipse denuo contuli.

m Bekkeri M, G. Hermanni Mut. a. Refertus est coniecturis plerumque infelicibus.

n Bekkeri m, G. Hermanni Mut. b.

o Bekkeri n, G. Hermanni Mut. c. Omnes tres Mutinenses chartacei, forma quadrata vel minori, recentes. Insunt Plut., Nub., Ran. Contulit Bekkerus.

p Borgianus, chartaceus, recens, ab Invernizio collatus.

q Vaticano-Urbinas, a Zacagnio collatus in usum Kusteri.

r Vaticano-Palatinus, a Zac. coll. in us. Kusteri (qui in Ach., Eq., Vesp., Pac., Lys. pauca inde enotavit); nunc in bibliotheca Leidensi.

s Monacensis 137 s. Bavaricus, chartaceus fol. 127. saec. fortasse XV. Continet Plut., Nub., Ran., Eccl. — Nubium et Ranarum lectiones vulgavit Harles in ed. Nubium (Lips. 1788), Pluti B. Thiersch, cuius v. Praefat. ed. p. XXVI—XXVIII.

t Elbingensis, chartaceus, forma quadrata, collatus a Trendelenburgio. Continet Plut., Nub., Ran.

u Leidensis Ernestii, cuius reliquos codd. omisi, ductus eorum ambiguitate, cf. G. Hermann. praef. Nub. p. V sq.

v Bodleianus Kusteri.

w collegii Lincolnensis, cuius lectiones quaedam enotatae sunt in exemplari editionis Wechelianae quod olim Askewii fuit. Porsoni Ask.

x Arundelianus (nunc regiae societatis Londinensis), satis recens. Usus eo est Kusterus, denuo contulit Dobraeus in Pors. not. in Ar. p. (88)—(91).

y Porsoni 1, Baroccianus 34.

z Porsoni 2, Baroccianus 43. In omnibus paene Nubium locis conspirat cum h.

B. Librorum editorum.

Bentl. = R. Bentleii observationes, primum editae a Kustero (1710).

Bgk. = Bergk, Aristophanis editor in Bibliotheca Teubneriana (1852).

Bgl. = Bergler (in editione Lugd. Bat. 1760. 4.).

Bk. = I. Bekker, ed. Londin. 1828 sq.

Bo. = F. H. Bothe, Vol. IV editionis omnium poetae fabularum (Lips. 1830. 8.) = Ed. II (Lips. 1845.) Vol. I.

Br. = R. F. Ph. Brunck (ed. Argentorati 1781—1783. 3 Voll. 8.).

C. Fr. Herm. = C. Fr. Hermann, cuius nisi alium librum nominavi intellexi commentationem inscriptam: Kritische Bemerkungen zu Ar. Wolken, in: Gesammelte Abhandlungen (Gott. 1849. 8.) p. 256—280.

C. P. = C. Passow, Apparatus criticus ad Aristophanem. Vol. III. Lips. Teubn. 1828. 12.

Dd. vel Ddf. = Wilh. Dindorf, cuius adhibui plerumque Oxoniensem editionem (1835—1837. III. Voll. 8.).

Dobr. = P. P. Dobree, cum in R. Porsoni Notis in Aristophanem (Cantabrig. 1820. 8.) tum in Adversariis, editis a Scholefieldo (Cantabr. 1833), deinde a Dindorfio in Aristophanis editione amplissima (Lips. 1794—1834. 8.) Vol. IX, 2. p. 18—28.

Fr. = Fr. V. Fritzsche, cuius, nisi aliud annotavi, innui Adnotationes ad Nubium principium (Ind. lect. Rostoch. 1835—1836. 4.).

G. H. = G. Hermann, ed. Nubium altera, Lips. 1830. 8.

Harl. vel Hs. = Harless, ed. Nubium, Lips. 1788. 8.

Inv. = Ph. Invernizi, primus auctor editionis a Chr. D. Beckio, postea W. Dindorfio, curatae, Lips. 1794—1834.

Kk. = Th. Kock, ed. Nubium (Lips. 1852), quacum conferas cum auctoris commentationem de emendatione Nubium, M. Rh. VIII. p. 341—364, tum quae iudicarunt R. Enger in Jahnii Annal. LXVIII.

p. 113—138. C. L. Kayser in Münchner gelehrte Anzeigen, XXXIX (1854). I, 18—23. p. 150—189. ego ipse in Zeitschr. f. Alt. Wiss. 1853. p. 156—167.

Kr. = C. W. Krueger, Griechische Sprachlehre, dritte Auflage. I. Berol. 1850. II. 1846. 1855.

Kst. = L. Kusterus, ed. Amst. 1710. fol.

M. = Matthiae, Ausführliche griechische Grammatik (ed. II. Lips. 1825. 1827. ed. III. 1835).

M. Rh. = Museum Rhenanum.

N. P. = Handwörterbuch der griech. Sprache, begründet von Fr. Passow. Neu bearbeitet und zeitgemäss umgestaltet von Rost, Palm, Kreussler, C. Keil, F. Peter, G. E. Benseler. Lips. 1841—1856.

R. E. = Realencyclopaedie der classischen Alterthumswissenschaft, herausg. von A. Pauly, Chr. Walz, W. S. Teuffel. Stuttg. 1837—1852. 6 Voll. 8.

Rsg. = C. Reisig, vel in Coniectaneorum in Aristophanem libris II (Lips. 1816. 8.) vel in editione Nubium (Lips. 1820).

Sch. vel Schol. = Scholia graeca in Aristophanem, quorum usurpabam editionem Duebnerianam (Paris. 1842. 8).

Schz. = Chr. G. Schütz, ed. Lips. 1821. 8.

Sp. = Ez. Spanheim, in editione Kusteri.

Wr. = F. G. Welcker, Ar. Komoedien, metrisch übersetzt, I. Giessae 1810. 8.

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ

ΝΕΦΕΛΑΙ.

ΤΑ ΤΟΥ ΔΡΑΜΑΤΟΣ ΠΡΟΣΩΠΑ.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.
ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.
ΘΕΡΑΠΩΝ ΣΤΡΕΨΙΑΔΟΥ.
ΜΑΘΗΤΑΙ ΣΩΚΡΑΤΟΥΣ.
ΣΩΚΡΑΤΗΣ.
ΧΟΡΟΣ ΝΕΦΕΛΩΝ.
ΔΙΚΑΙΟΣ ΛΟΓΟΣ.
ΔΙΚΟΣ ΛΟΓΟΣ.
ΠΑΣΙΑΣ, *δανειστής.*
ΑΜΥΝΙΑΣ, *δανειστής.*
ΜΑΡΤΥΣ.
ΧΑΙΡΕΦΩΝ.

ΝΕΦΕΛΑΙ.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

Ἰοὺ ἰού·
ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν ὅσον·
ἀπέραντον· οὐδέποθ' ἡμέρα γενήσεται;
καὶ μὴν πάλαι γ' ἀλεκτρυόνος ἤκουσ' ἐγώ·
οἱ δ' οἰκέται ῥέγκουσιν. ἀλλ' οὐκ ἂν πρὸ τοῦ. 5
ἀπόλοιο δῆτ', ὦ πόλεμε, πολλῶν οὕνεκα,
ὅτ' οὐδὲ κολάσ' ἔξεστί μοι τοὺς οἰκέτας.

2. Interpunctionem post ὅσον postulare videbatur et sermonis et versus ratio et loquentis habitus.

3. ἀπέραντόν ADFGabcdfghilqtx: τὸ μὴ περαινόμενον, ὅπερ μὴ δύναιτ' ἄν τις ἐξελθεῖν, ἀτελές, ut ὁδός, χρόνος ἀπ. Eodem modo B ac Suidae ἀπέρατον esset interpretandum; cf. Eur. Med. 646 δυσπέρατον αἰῶνα (Fr.).

7. κολάσ' almno; κολάσαι ἔξ. B cum plerisque mss., contractionem permittentes lectori. Cf. ad v. 42.

